Alexander rex Poloniæ, cardinali Regino legato apostolico.

115

Reverendissime in Christo pater etc: Jamdudum respondimus literis gratulationis vestræ reverendissimæ dominationis de evectione nostra ad solium huius regni, quæ quidem ut erant plenæ benevolentiæ, et consuetæ humanitatis erga nos et res nostras; ita pari affectu supervenerunt aliæ per vestram dominationem reverendissimam ad nos datæ, offerentes solito amore studium et operam suam nobis. Nos etsi verò iam pridem et animum vestræ dominationis reverendissimæ benevolentissimum in nos experti sumus, et continue experiamur in nostris actionibus amicissimum et promptissimum; tamen gratissima venit per est nobis memoria et testificatio vestræ reverendissimæ dominationis in nos benevolentiæ, qui certe, ut par est, et fuit animus semper, et erit nobis debito affectu respondere, sed et ea quæ intelligimus, aut intelleturi sumus rebus vestræ reverendissimæ dominationis expedire, parati sumus omni ratione promovere, atque ideo ut expetivit vestra dominatio reverendissima commendationem suam nostram viæ causæ in abbatia Saxardiensi, per reverendum Mathiam epi-

scopum

napum Premisliensem vicecancellarium et consiliarium nostrum, ad germanum nostrum serenissimum dominum Hungarie regem faciendum, illam et per literas nostras, et per oratores, quos propediem ad eius maiestatem missuri sumus, quam efficatius poterimus, libentissime faciemus, et quidquid preterea commodum et gratum vestre dominationi reverendissime à nobis prestari posse intelligemus, in eo vedulo, ut superius diximus, votis eiusdem complacere curabimus, quam feliciter valere optamus. Datum 1501.